



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Adriani & Clementis summorum Pontificum in extinguendo schismate
cura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

titudo, ut in sola Ægypto ac Thebaide ter mille numerati sint. (i) Hunericus vero rex Arrianus simul ac semel quater mille nongentos septuaginta sex in deserta loca omni humano auxilio destitutos relegauit. Non minor in eisdem fuit Gothorum, Hunnorum & Vandalorum crudelitas. Impius ille & nefandus Imperator ne nominari quidem dignus, per ludum & iocum quadraginta duobus Religiosis nates desecari, deinde barbam & capillos pice oblini, ac tandem corpora eorum in elibano assari iussit. Non vllaeo tempore scripta exstat historia, quæ non Religiosorum sanguine rubeat, id est, qua non innumeræ eorum cædes & supplicia prodita sint, ut videre est apud Paullum Diaconum, Victorem Vicensem, Sidoniam, Apollinarem, Nicephorum, Zonaram, Glycam & alios. Sed historiam nostram persequamur.

II. Persuaserat sibi Imperator Edicto illo VVormatiensi non Lutherum tantum, sed hæresim quoque eius è Germania proscriptam ac profligatam, vel certe cursum eius ita esse impeditum, ut magnos progressus facere non posset. Sed Lutherus qui tempori paullulum cesserat, ubi ab exilio reuersus, nomen suum multo maiori in honore quam vinqum sperauerat, haberi intellexit: mirum in modum ad cõpram telam pertexendam fuit animatus. Vfus est Lutherus delicatis ad Dominos terras: um decipiendos: bolis: nempe Bonis Ecclesiasticis expositis eorum cupiditati. Nec memora, amplectuntur causam eius Saxonix Dux & alij Principes ac domini: subque noui prætextu Evangelij nescio quam nouam libertatem sibi vindicant, bona Ecclesiastica passim inuolant, & in profanos vsus conuertunt. Et sicut olim crudelis ille Valens Imperator publico Edicto omnes Religiosos monasterijs excedere, (k) & vel castra vel quodcumque aliud vitæ genus sequi recusantes, gladio feriri iussit: sic Lutherani quidam Principes non solum Monachos monasterijs expulerunt, verum etiam ipsa monasteria funditus euertunt, ut spem omnem restitutionis eis præciderent: Ossis interim, quod ut medullam exsugerent ipsi fregerant, particulam aliquam nouis pastoribus & pauperibus obijcientes. In summa, in bona illi Ecclesiastica supremum ius sibi vindicabant; sub prætextu ea se inter pauperes & Scholarum ac Ecclesiarum ministros distributuros, de Lutheri consilio, qui librum De Fisco edidit, in quo vniuersum Mundum hortatur, ut omnibus machinis non monasteria tantum, sed vniuersam Ecclesiam

euertant. Illos, in libro quem scripsit contra statum Ecclesiasticum, veros Dei appellat filios, qui omnes suas vires ad Episcoporum subuertendum impetium, conferunt. Mirum non est quod multi noua huic Ecclesie nomina dederint, ut prædæ, veteri illi Ecclesie detractæ, fierent participes. Sic falco vincendum se autupi præbet, ut cibum consequatur: & bestia etiam maxime feræ facile cicutantur ab ijs qui partem prædæ in venatione captæ ipsis obijciunt. Suanis hic & delicatus bonorum Ecclesiasticorum bolus magnam hominum, præsertim laicorum multitudinem ad Lutheri partes attraxit: nec vero paucos Ecclesiasticos permissi matrimonij illecebræ, ut quod hactenus cum ipforum dignitatibus & retribus incomparabile, ut loquuntur, creditum fuerat, iam facile eisdem adiunxerunt. Apud Lutheranos enim Episcopus etiam si vxorem duxerit, manet nihilominus Episcopus: & qui Abbas fuerit, etiam maritus, Abbas manet. Valde enim ipsis placet mitra capiti imposita, & femina simul lateri addita: ut ita Plutone dignus concinnetur ornatus. Hinc innumerabiles exstiterunt confusiones; dum aliorum modestia cum immoderatis aliorum cupiditatibus certat.

III. Interea Pontifice Leone mortuo, Adrianus Papa qui ei successit, modis omnibus schismati quo Christiana Respublica plurimum affligebatur, remedium afferre conatus est: sed immatura morte subtractus, & ad cælum euocatus, quod instituerat perficere non potuit. Optimus hic Pontifex dicere solebat, *Magnam dignitatem, magnam esse seruitutem.* In huius locum surrogatus Clemens VII. in extinguendo quo Germania conflagrabat incendio, & restituenda pace Ecclesie, æque ac gentilis suus Leo frustra laborauit. Omnis spes enim in Concilio erat posita: cuius ipso Pontifice cogendi nulla fuit facultas, Principibus de priuato rerum suarum statu & imperio omni vi inter se contententibus. Eadem nihilominus quæ prædecessores sui suscepta cura; Legatos in Germaniam misit, qui cum Principibus Lutheranis agerent, sed optimi Pontificis conatus Lutheri feritatem tanto magis accendit. Intelligebat quippe facile, alijs armis sibi quam scriptura opus esse. Nimis enim debilis erat calamus ad id quod animo conceperat perficiendum; iamque longius proserperat hæresis & ex ea nata seditio, quam vni-

i Cassi lib. 7. cap. 39. August. cons. Peril. cap. 40. & 50. Hier. in Chron.

tam debilibus instrumentis solum sustentari possent. Ad manus veniendum erat, & gladius lateri accingendus, vt nouum ipsius fulci-etur Euangelium, & in primis Euangelica illa Libertate animos Principum alliciendos sibi atque inescandos putabat. Lutherus igitur omnia turbare intentus, tantum effecit vt Principes ad religionis mutationem propendentes, Norimbergæ conuentum egerint, vel Senatū Imperij istic à Cæsare absente constitutum corruerint potius, vt de religionis causa aliquid sine Cæsare cognosceretur, & Vormariense decretum quo Lutherus eiusque causa condemnata fuerat, aboleretur. Imperator tamen qui tum in Hispania erat, hæc ad auctoritatis suæ præiudiciū pertinere interpretatus, postea Edicto vetuit, ne in religione quidquā mutaretur, sed re integra ad Concilium vsque, de quo multus erat sermo, dilata, Vormariense interea decretum obseruaretur.

IV. Is tum erat rerum in Christiana Republica status, qui Lutheri promouendis conatibus maxime inferuiebat. Plerique enim Principes contentioni ac bello, quod tum inter Hispania & Gallia reges gerebatur, illigari erant. Franciscus Gallia rex, capto Mediolano, toti Italiae metū incusserat. Solimanus profligato Hungarorum exercitu, eorumque rege cæso, Germania finibus imminerebat. His tot tantisque difficultatibus impediti, & prius longinquis & transmarinis expeditionibus sæpe distenti, Imperator & frater Ferdināus, foris Turcis assilentibus, intus Gallis vim facientibus, ac Lutheranis minantibus, vix vllas consilia sua explicādirationes inueniebant. O quanti constas mundana dignitas! Ecce tibi, supremus Ecclesiae præsul, qui nec vtrisque æquum & neutrum quasi se exhibere, nec auctoritate sua dissidentes in concordiam redigere poterat, momento & se & urbem rerum dominam & caput Imperij captam, & exteræ gentis potestati ac libidini subiectam vidit, ductu Caroli Borbonij, qui in ipsa oppugnatione bombardæ ictu percussus, nullum aliud ex capta vrbe trophæum retulit, quam æteram dedecus, quod & Ecclesiae simul & Regi suo arma inferre sic ausus. Tam ante, quam post hanc vrbs cladem plura acciderunt memoratu digna. Paulo ante homo quidam ignotus, prouectæ ætatis, ex agro Senensi, squalida lacerna indutus per vrbs plateas cursitans, magna voce omnes horatus fuerat, vt vitam emendarent, pœnitentiamque agerent: alioqui enim fore vt grauissimas propediem pœnas luant. Nec vn-

quam ille, quamuis à multis increpatus, clamare eademque verba ingeminare cessabat; ad exemplum Cassandræ, aut eius qui Hierosolymitanis simili clamore exitium prædixisse fertur: immo quanto magis prohibebatur, tãto magis clamabat, vt intra quatuor muros eum concludi necesse fuerit, è qua custodia ab illis ipsis quorum aduentum prædixerat, fuit liberatus. Quibus ille dixisse fertur: Vos virga estis & flagellum quo Deus populum hunc impœnitentem castigat, & ad voluntatem suam implendam vitur: at vbi virga hac satis vsus fuerit, eam in ignem cõijciat, & ipsos castigatores castigabit. Cui vaticinio in vtrisque exitus fidem fecit: Omnes enim sacrilegi paullo post miserabili morte perierunt, magna parte morbo contagioso absumti, reliqui vero ab ijs quos vicerant, ac deprædati fuerant, sublati. (1) Lutheranus quidam, historiam hanc captæ vrbs, in qua nullum nõ sceleris, flagitij ac sacrilegij genus perpetratum fuit, describens, affirmat, militem quendam generosum dixisse, voto se Lutheri Prophetæ suo obstrictum, frustum de corpore Papæ sese deuoraturum; & quidem nihil se magis cupere quam votum hoc implere. Ait idem, milites è Pontificio sacello stabulū equorum fecisse; tum Lutherum, quem Ecclesiasticis vestibus atque ornamentis indutus, miles quidam gregarius (etn Landts knecht) repræsentabat, per ludibrium Papam creasse, omnibus manus in altum tollentibus atque acclamantibus: *Lutherus Papa, Lutherus Papa*. Sed ad hunc ipsum nouum Pontificem absentem coronatum redeamus. Quemadmodum araneæ non sereno sed pluuioso atque obscuro cælo telas suas contexunt atque explicant: sic Lutherus in tantis turbis ac nouis dissensionibus consilia sua ita moderabatur, vt Euangelicæ illius Libertatis, quam velut vanalem proposuerat, cassibus multos Principes irretiret, & ad fædus cum Saxonie Duce de Lutherana propugnanda doctrina ferendum, permoueret. Ex his præcipui erant Georgius Marchio Brandeburgicus, Ernestus Dux Luneburgensis, Princeps Anhaltinus, & Philippus Hassiæ Langrauius: quorum hic magnas patriæ suæ attulit calamitates. Est vero Landgravius apud Germanos dignitatis nomen, significans Provinciale Comitem. Horum quatuor sunt in Imperio, nempe Thuringiæ, Alsatia, Leuchtembergæ, & Hassiæ: quorum huius magna est potentia, imperiū Franconie finitimū. Erat vero istū magni

D d 2

animi

1 Vid. Cochl. de Aët. Luth. Pont. lib. 2. rer. mem.